DE FUNGO CAPITIS
IN UNIVERSUM
ET
DE FUNGO DURAE MATRIS
IN SPECIE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE
IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE XIV. MARTII A. MDCCCXXXIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS JULIUS GUILIELMUS SEIFERT

MEGALO-HAYNENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS.

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

LIPSIAE,
EX OFFICINA F. A. BROCKHAUSII.

VITRICO

OPTIMO ATQUE CARISSIMO

FRIDER. ANTON. THEOPHILO SCHMIDT,

PROTOCHIRURGO PRIMAE LEGIONIS PEDESTRIS SAXONICAE, INSIGNIBUS VIRTUTIS MILITARIS ORNATO,
HOC TEMPORE EMERITO

HAS

SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT

AUCTOR.

Hanc occasionem praetermittere non possum, quin *Tibi, Carissime Vitric*, maximas ob paternam in me benevolentiam grates agam. Luculentissimis enim usque ad hunc diem me adjuvisti auxiliis mihique in omnibus vitae casibus prudentissimis consiliis adfuisti; nec minus gratissimos singulis fere diebus excitasti sensus, ita ut *Tibi* hoc tempore, quo publice loquendi occasio mihi data sit, summam meam in *Te* reverentiam atque pietatem publice declarare constituerim. Quam quidem ob causam, omissis omnibus laudibus *Tibi* revera debitis, hunc libellum *Tibi* dedico, ut haec confessio mea publice facta inter omnes constet. Attamen etiam atque etiam oro et rogo, ut opusculum meum pro ingenio *Tuo* in doctrina medicinae valde exercitato et animo clementi indulgenter dijudices et, quod hoc loco ex intimo pectore profluxit, benevole ut soles accipias. Nec minus in posterum quoque paternum favorem, cuius tam egregia et multa mihi dedisti documenta, in omne vitae *Tuae* utinam longae tempus mihi conserves. Vale!

PRAEFATIO.

Quo magis de illa morbosa capitis affectione, quae *fungus durae matris* dicitur, recentioribus temporibus celeberrimi egerunt scriptores, eo quoque magis mirabuntur viri docti, si tiro artis salutaris audet, tot tantisque tractatibus qualemcunque suum addere. Nihilominus autem negari non potest, sententias de natura et de sede hujus affectionis adeo inter se discrepasse et ad hunc diem usque discrepare, ut disquisitio hujus mali ad finem perducta et absoluta esse non videatur. Hanc ob rem etiam quisque hujus morbi casus si accurate observatus et fideliter descriptus est novis investigationibus occasionem praebere poterit ad grave istud pathologiae humanae caput quodammodo illustrandum. Quod quum mihi persuasum haberem, in specimine inaugurali nunc mihi edendo lubenter commode oblatam opportunitatem arripui, quam mihi fecit praeceptor plurimum colendus, Generos. *ab Ammon* Professor in academia medico-chirurgica Dresdensi, cujus hortatu atque auctoritate non solum ad hoc de fungo durae matris argumentum pertractandum incitatus sum, sed qui Vir Excell. duas observationes de illo morbo, ab Ipso factas effigiesque ad naturam delineatas, humaniter atque benevole mecum communicavit,

et quo facilius in hoc proposito progrederer consilio et libris me prompte adjuvit, ita ut hac occasione valde obstrictum me sentiam Viro Generoso et hic publice gratissimum animum significare et in posterum etiam spondere animum adnitar. Magnas quoque gratias agere debeo Excell. *Kuhlio* praeceptori summa pietate venerando, qui pro sua, qua semper excellit, humanitate atque benevolentia libros hoc meum argumentum spectantes, quos possidet, et qui mihi adhuc deficiebant benigne permisit, nec non Exp. *Gescheidt*, Medico apud Dresdenses practico et amico conjunctissimo, qui sub auspicio *Generos. ab Ammon* sectionem cadaveris foeminae, cujus historiam in secundo hujus libelli capite primo loco exposui, instituit et ejus summam mecum communicavit.

Rationem ceteroquin quod attinet in pertractando argumento persequendam, omne meum hocce opusculum tribus capitibus comprehendam, in quorum *primo* scriptorum inprimis recentiorum diversas de fungo durae matris opiniones enarrabo; in secundo observationes mecum communicatas exponam; in tertio denique num inde probabile quid fluat, argumentando definiam.

CAPUT I.

VARIAE DE FUNGO DURAE MATRIS OPINIONES.

---

§. 1.

Eorum sententia, qui fungum durae matris in externa hujus membranae superficie oriri et haerere statuunt.

Etiamsi dubitandum non est, ab ipsis antiquissimis medicis tumores capitis observatos fuisse, qui recentioribus temporibus ad classem fungi durae matris relati sunt, descriptiones tamen ejusmodi tumorum in antiquioribus operibus ita comparatae sunt, ut diversissimae naturae tumores, qui in capite occurrere solent, confunderentur et in universum et sine distinctione *talpa*, *testudo* etc. dicerentur. Primum saeculo decimo octavo paulo accuratius de sede et natura fungi durae matris *Louis*[1]) locutus est, cujus sententia partim casu, quem ipse observavit, partim observationibus aliorum licet imperfecte collectis nixa in eo versabatur: ut hanc excrescentiam in externa superficie durae matris exortam progrediente incremento suo parare sibi pressu rimam in osse, atque hoc denique perforato externe sub integumentis comparere, putaret.

Inprimis tamen fratres *Wenzelii*[2]) ex casu in cadavere observato et observationibus aliorum inter se comparatis eandem sententiam de fungo durae matris statuere studuerunt, secundum quos haec excrescentia tantum in superficie externa durae matris oritur, licet naturalis conditio hujus membranae neque ratione coloris, neque alio modo morbose mutata et cohaesio excrescentiae cum ea, paucis casibus exceptis, plerumque exigua, facile solubilis, et indoles durae matris in eo loco, ubi excrescentia adesset, immutata reperiantur. Etenim in superficie interna durae matris in plerisque casibus ne vestigium quidem mutationis observabatur; quae vero in superficie externa hujus membranae reperiebatur, laevitas ejus fuit naturalis, atque nulla praeternaturalis cohaerentia cum partibus vicinis inveniebatur; raro tantum locus superficiei inferioris, mutatione morbosae in superficie externa respondens, aliquantum crassior aut peculiaris structurae fibrosae fuit.

Progrediente incremento hujus excrescentiae fungosae dura mater ex hac sententia in majori ambitu a cranio solvitur, atque partim hac ratione, quod nutritio ossis impedita vel prorsus sublata

---

1) Mémoires sur les tumeurs fongeuses de la dure mère; in Mémoires de l'academie roy. de chirurgie. Vol. V. 1774, p. 159.

2) *Joseph* und *Karl Wenzel* über die schwammigen Auswüchse auf der äussern Hirnhaut. Mainz 1811. Fol. M. K.

sit, partim pressu tumoris os absorptione destruitur, donec tumor sensim sensimque sub integumentis cranii compareat. His integumentis post mortem resectis periosteum externum circa foramen in osse instar sacci dilatatum et sine vestigio cujusdam alius mutationis morbosae, atque non obstante insigni magnitudine tumoris fungosi cum eo non concretum, etiam circa foramen praeternaturale in cranio marginem cartilagini similem formans invenitur.

Perforatio cranii ipsa secundum hanc fungi durae matris genesin semper ab interioribus partibus extrorsum tendit, quemadmodum illi casus definite ostendunt, ubi excrescentia nondum prorsus per os penetravit, atque extrema tabula ossea cranii tenuis et fere membranacea reperitur. Huic accedere, quod substantiae defectus, qui in ossibus cranii observatur, fere in toto ambitu locorum perforatorum, in superficie interna cranii major est, quam in externa; idcirco etiam margines foraminum in plerisque casibus aliquantum oblique ab infimis et internis sursum et extrorsum acuti sint. Caeterum excrescentia, ut fere fit, cum marginibus foraminis ossis minime cohaerere dicitur, et si firmior etiam cohaerentia cum foramine ossis, et cum ipso periosteo externo observaretur, id neque a natura excrescentiae, neque ab ejus origine pendere, sed tantum sub ea conditione fieri, quod foramen in cranio plerumque ad magnitudinem excrescentiae justo minus sit, quo fiat, ut excrescentia in foramine ipso praeter naturam comprimatur vel irritamento marginibus foraminis plerumque inaequalibus, asperis, plus minusve acutis provocato; vel pressu continuo ex motibus cerebri nunquam cessantibus orto, vel denique experimentis ineptis ad hasce excrescentias reponendas.

§. 2.

Sententia eorum, qui fungum durae matris non in hac, sed degenerante osse formari assumunt.

In eorum numerum, qui formationem excrescentiae, de qua sermo est, in degeneratione ossis quaesiverunt, multo plures sunt referendi. Quorum primum *Petitium*[1]) commemorare liceat, qui fungum durae matris pro mutatione ossis in carnem habet; quocum consentit *Engerran*[2]). — *Sandifort*[3]) quoque originem mali in osse statuit, atque putat, vasa diploës multum hujus rei esse participes. Ejusdem opinionis etiam *Heisterus* fuisse videtur.

Attamen cum maxima subtilitate *C. Siebold*[4]) hanc sententiam pronuntiavit et stabilire studuit, qui duobus observationibus ductus originem hujus excrescentiae fungosae in ossibus cranii ipsis, et praecipue in diploë esse statuit. Argumentatio ejus consistit in eo: accuratiorem conjunctionem pericranii et durae matris vasis per os penetrantibus, quae in tela spongiosa ossea maxime confluunt, conditionem esse, ut ejusmodi primariae in textu spongioso osseo exortae excrescentiae sensim sensimque ad utramque tabulam ossium cranii, ab his ad *duram matrem* simulque ad periosteum externum extendantur; ita ut massa ossea penitus resoluta excrescentia fungosa ex textu omnium horum vasorum constans, a marginibus corruptis dentatis ossium vicinorum corruptorum cincta oriri de-

1) Traité des maladies des os. Nouv. Edit. Tom. II. Paris 1741. pag. 420.
2) Conf. *Louis* loc. cit.
3) Exercitationes anatomicae. Ludg. Bat. 1786. Cap. III.
4) *Arnemann's* Magazin der Wundarzneiwissenschaft. Bd. II. S. 419.

beat. His accedere praeterea analogiam aliorum ossium corporis, in quibus quoque ejusmodi excrescentiae fungosae obveniunt, secundum quam hic morbus non aliter quam *fungus cranii* appellari possit; quippe quod in omnibus ossibus, inprimis quibus in medio substantia spongiosa est, fungus in tela spongiosa ortus ad superficiem externam extendi queat.

Hanc sententiam Generos. *a Walther*[1]), tanquam veram, duabus ab ipso factis observationibus comprobare studuit, contendens, fore ut in fungo, qui in retiformi plexu vasorum diploës primitivam originem capiat, vegetatio hujus vasorum plexus augeatur, explicatio et amplificatio vasorum enormis reddatur, terra ossium absorbeatur, et quasi carnatio ossium oriatur. — Quodsi jam mutua relatio durae matris, ossium cranii cum eorum diploë et pericranio, accurata et intima cohaerentia partium, inprimis earum extensa et multiplex conjunctio vasorum perpendatur: difficile esse intellectu, quomodo adeo insignis diuturna morbosa degeneratio tantum in una earum, sine aequali societate reliquarum, haerere possit; et quidem eo minus, quum in fungo omnino vasa praecipue affecta sint, haec autem aperte medium conjungens sint inter duram matrem, diploën et periosteum. Caeterum *Walthero* admodum improbabile est, ut nutritio tantopere mutari possit, quin periosteum externum similem et respondentem mutationem patiatur, neque diploë et ossa cranii aliam mutationem experiantur, quam quae a pressu fungi jam formati oriatur. — Censet itaque Vir Generos., morbum, de quo quaestio est, neque cum plurimis auctoribus *fungum durae matris*, neque cum *Sieboldio fungum cranii* nominari posse, sed habendum eum esse pro aequali, pari affectione durae matris, diploës inter ossa cranii et periosteum externum. Vasa adeo dilatata fungi omnino eadem esse, quae a dura matre ad diploën et ab hac substantia ad pericranium currunt; quippe quod in eodem loco, in eadem directione decurrant, et tantum in amplitudine luminis sui extensi ab illis differant; inter quae vera terra ossium absorpta sit.

Neque tamen alia argumenta silentio praetereunda sunt, quibus *Waltherus* adhuc veritatem sententiae *Sieboldianae* ad persuadendum accommodatis demonstrari posse putat. Huc spectare ei videtur ante omnia abundantia vasorum fungi, ex qua jam per se verosimile sit, eum ex dilatatis vasis diploës nec non ex illis consistere, quae per cranium penetrant, inter quae propria massa ossea destructa et resorpta sit, praeterea amplificatio vasorum durae matris jam in quadam distantia a fungo et eo magis, quo propius ea ad hunc accedant.

Deinde quum fungus proprie in substantia ossium cranii, inprimis in rete vasorum diploës formetur, facile esse intellectu, cur tantum *superficies externa durae matris* hujus rei particeps conspiciatur, in *superficie ejus interna* vero ne minima quidem morbosa mutatio reperiatur. In universum cohaerere excrescentias fungosas firmiter cum dura matre, et ubi cohaerentia minor sit, id a mollitie et ab exigua interna cohaerentia excrescentiarum fungosarum, forsitan etiam ab ea re pendere, quod fungus sero primum sit perscrutatus. His argumentis adnumerat porro firmam cohaerentiam fungi cum marginibus rimae osseae: quae conjunctio substantiae propriae istius excrescentiae cum substantia ossea in multis casibus adeo arcta fuisse dicitur, ut in separatione post mortem tentata et excrescentia fungosa ex rima ossea exemta, semper pars fungi marginibus rimae adhaereret; fungum lacerari prius in se ipso, quam ut in vita vel morte ab osse separetur. Quam ob rem *Wal-*

1) Ueber die schwammigen Auswüchse auf der harten Hirnhaut, nach eigener Beobachtung; im Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. I. S. 55.

therus sententiam *Wenzelii*, firmiorem cohaerentiam fungi cum marginibus rimae osseae a fortuitis causis levioribus pendere, refutare studet.

Minorem rimam in osse, ait, posse quidem majorem excrescentiam includere, attamen hac re fungum nunquam cum osse cohaerentiam organicam inire posse, ita ut tantum continuum cum eo efficiat. — Sententiam, irritamento marginum ossis asperorum et acutorum in excrescentiam hujus adhaerentiam effici, prorsus falsam esse, si quidem laciniae neque dolores in excrescentia, neque symptomata nervosa parare possint. Pressum, quem excrescentia nondum perrupta et perrupta in os et in foramen postea ortum motibus cerebri nunquam quiescentibus faciat, ea opinione niti, excrescentiam in cavitate cranii oriri, de qua ipsa disputetur.

Experimenta repositionis, si in universum repositio fieri posset, potius apta esse ad excrescentiam a marginibus rimae osseae separandam, quam ad ejus accretionem promovendam. — Haud minoris momenti argumentum ad hanc sententiam comprobandam videtur *Walthero* positum esse in natura pericranii in eo loco, ubi fungus situs est. Periosteum enim ait incipere jam in majori distantia a tumore conspissationem; hanc intumescentiam augeri ea proportione qua propius accedat ad tumorem, atque apparere hic etiam rubrofuscam; periosteum cohaerere firmiter cum excrescentia; in ejus superficie externa non magis mutationem morbosam conspici, quam in interna durae matris; superficiem internam periostei cohaerere aperte per vasa etc. cum massa fungosa; verbo periosteum habere omni ex parte eandem rationem ad excrescentiam, uti ad duram matrem; ambo habere aequalem partem in ejus origine, fungum servare cum ambobus aequalem conjunctionem.

Ultimum argumentum petit *Waltherus* ex analogia aequalis degenerationis periostei externi et interni et substantiae vasculosae in massam fungosam in aliis ossibus. Perhibet enim, inter omnes constare, fungum durae matris etiam in aliis telis fibrosis, in periosteo, in ligamentis fibrosis articularibus etc. obvenire, id est, has ejusdem degenerationis morbosae, uti duram matrem, ex aequalibus causis esse capaces, exinde gravissimas conjecturas faciendas esse. Nimirum, duram matrem in hoc morbo non qua talem, id est quatenus in aliqua ratione cum cerebro versetur, posse correptam esse, siquidem aliae membranae fibrosae, quae extra omnem relationem ad cerebrum versentur, eidem degenerationi morbosae obnoxiae sint; potius debere eam in proxima sua relatione ad ossa cranii, i. e. quantum periosteum ejus internum sit, primario modo pati.

Duram matrem, cranium et periosteum esse universitatem vivam. Nullum eorum posse in majori gradu mutari sine consensu reliquorum. Fungum durae matris re vera pro eodem morbo cum fungo articulorum et tumore articulorum albo esse habendum.

Huc pertinet etiam *K. Graff*[1]), qui casum a se descriptum confirmare putat sententiam *Waltherianam*. Secundum hujus observationis epicrisin contendit *Graff* cum *Walthero*, malum, de quo sermo est, esse morbum reproductionis organorum, quibus ossa cranii nutriantur, cum eorum degeneratione fungosa et partiali mutatione telae osseae in substantiam fungosam; ex cujus argumentis, quibus sententiam suam comprobare studuit, ea tantum hic adferre sufficiat, quae in omnes casus convenire dicit et quae sine historia casus ab eo observati, quam hic adferre spatii angustia pro-

---

1) Die Metamorphose der Schädelknochen in Markschwamm; im Journal für Chirurgie von *Gräfe* und *Walther*. Bd. X. St. 1. S. 76.

hibet, intelligi possunt. Substantia, ait, ossea circa fungum semper, ac plerumque etiam locis remotioribus aegrota conspicitur; dura mater vero in loco ubi fungus est, non tota corrupta sed ejus externa tantum facies cum fungo cohaerens deprehenditur; internae faciei mutatio, quae quidem raro accidit, curatione medica efficitur. Nunquam dura meninx eodem modo atque os degenerat; nunquam denique fungus in interna meningis facie repertus est, quod certo eveniret, si haec membrana mali sedes esse posset.

§. 3.

Sententia eorum, qui malum, de quo loquimur, e partibus valde diversis tegminis cerebri exoriri posse, contendunt, vel etiam totidem fungi species distinguunt.

Venio nunc ad eorum sententiam, qui neutram opinionum hucusque pertractatarum rejiciunt, utramque potius veram et accuratioribus observationibus fundatam esse statuunt, siquidem ambae doctrinae vel saltem quoad sedem varios status morbosos respiciant, vel etiam fungus, qui primitus unam tantum partem corripuerit, postea haud raro partes vicinas aggrediatur, ita ut ex anatomica disquisitione vix definiri possit, quam sedem primo habuerit. Liceat hic prae caeteris nominare *Fickerum* [1]), qui alteram priorum sententiarum alteri minime repugnare ostendit, utramque pro diversis certe exemplis veram esse posse probavit. Praeterea *Kleinium* [2]), qui, quamvis in ejus casu sectione instituta non solum integumenta capitis sed ipsum quoque cranium facillime a tumoribus separari potuissent, iique nihil communionis cum diploë habuissent, nihilominus monet, casum hunc propterea memoratu esse dignum, quia ex eo appareat, ex altera parte *Waltherum*, ex altera fratres *Wenzelios* veritatem dixisse.

H. Schwarzschild [3]) sententias *Wenzelii* et *Waltheri* inter se discrepantes ita conjungere et quamlibet ad speciales casus referre studuit, ut fungum durae matris secundum definitionem *Wenzelii*, fungum pericranii, fungum diploës et denique simultaneam degenerationem fungosam omnium harum partium assumeret. —

A. Ch. H. Seerig [4]), cujus opinio tribus observationibus nititur, quae a *Walthero* theoriae *Wenzelianae* oppositae sunt, eo refutare studuit: ut casus a *Walthero* et antea a *Sieboldo* aliisque observatos non pro excrescentiis fungosis durae matris *primariis*, sed pro *fungis cranii*, pro primariis degenerationibus ossis et secundaria degeneratione durae matris, quemadmodum fratres *Wenzel* ejusmodi degenerationes tanquam *fungos durae matris syphiliticos* aptissime et praeclarissime descripsissent, declararet. Hanc ob rem etiam argumenta a *Walthero* contra sententiam *Wenzelianam* allata secundum *Seerigium* parum firma sunt, quia ad alium statum morbosum spectant; decursus autem et symptomata fungi durae matris proprii a *Seerigio* prorsus secundum *Louis* et *Wenzel* statuuntur, attamen excrescentia fungosa ipsa *fungus haematodes* nominatur.

---

1) Noch etwas über die schwammigen Auswüchse auf der harten Hirnhaut; im Journal von *Graefe* und von *Walther*. Bd. II. S. 219.

2) Beträchtliche Hirnhaut-Blutschwämme von äusserer Ursache; im Journal von *Graefe* und von *Walther*. Bd. III. S. 614.

3) Diss. de fungis cranii. Heidelb. 1825. 4.

4) Nonnullae de fungi durae matris origine et diagnosi. Acced. Tabulae tres lithogr. Vratislaviae. 4.

Similem sententiam statuit etiam *Eck*[1]), de casu a se observato, in quo, postquam tumorem cum Praecipitato rubro et Alumine usto conspersisset, massa fungosa fere prorsus remota atque ita non solum oculi, sed etiam digiti et specilli ope clariore intuitu mali comparato, *os bregmatis* in ambitu numi octo grossorum conditione normali desitutum animadvertebatur, loco tabulae laevis a periosteo vestitae conspiciebatur tegumentum osseum superficiei aliquid abductum, caeterum cum residuis pseudoproductionis non destructis obtectum et cum iis intime mixtum, sanguinosum, aspectu holosericum, inaequale et gibbosum, solito tamen ab attactu mollius, quod in duobus locis, et quidem in parte anteriori superiori et posteriori inferiori spatii, in continuitate sua rimis crassitudine calami scriptorii mediocris penitus interruptum, hic adhuc cum marginibus osseis intime cohaerentem partem massae cellulosae pulsantis cingebat, per quam manubrium folii myrtiformis vi quadam adhibita tam profunde deprimi potuit, ut in cranio consueta ratione constructo necessario penetratio rimae usque ad cerebrum assumi debuisset.

Pro hoc jam casu *Eck* denominationem *Sieboldianam*, *fungus cranii*, prae caeteris aptam esse putavit, licet ea in universum non semper apta sit. Pro aliis casibus, ait, posset iterum, prout origo morbi fuerit, nomen *fungus durae matris vel fungus pericranii* magis malum hoc denotare; etenim quo magis constet, metamorphosin diploës, durae matris vel periostei, qua excrescentia fungosa formatur, celerrime ab uno etiam in alia membra hujus organicae communitatis extendi, quae tam sensu anatomico quam physiologico, et praecipue per ramos vasorum intime cohaerent, germen tamen illius labis hic omnino non magis, uti in aliis morbis ossium, v. c. arthrocace, semper in eodem puncto, potius, secundum diversitatem causarum et ejus efficientiae, mox primum in tela ossea et ejus vasis formari et quamdam diversitatem fontis dari. — Nec praeteream *Ebermaierum*, qui in tractatu suo[2]) casum fungi medullaris ossium cranii descripsit, quem durante vita observavit, et ex quo in sectione sequebatur, excrescentiam medullarem non solum in externa sed etiam interna superficie ossium fuisse formatam, os vero non perruptum, sed in superficie interna et externa cum subtilissimis et pulcherrimis acuminibus osseis fuisse obsitum, quae in ipsam massam medullarem transibant. Cum pericranio excrescentia externa non cohaerebat, bene vero interna cum dura matre. Simul aderat in superficie interna durae matris excrescentia medullaris. — Phaenomena in hoc casu necessario cum illis in *fungo durae matris* secundum *Louis* et *Wenzel* non conveniebant. — Memoratu dignis animadversionibus de formatione fungi medullaris et haematodis *Ebermaierus* ratione fungi durae matris secundum *Louis* et *Wenzel* sequentes contemplationes subjungit. — Contendit nimirum secundum delineatam imaginem *fungi cranii* vix intelligendum esse, quomodo priores scriptores hunc ipsum tanquam fungum durae matris descripsissent, atque huic ex sua phantasia prorsus opiniones et phaenomena tribuissent, quae *fungo durae matris* adhuc in novissimis descriptionibus quoque adscripta inveniamus. *Fungum cranii* adeo ipsa natura in decursu differre a malo, quod scriptores *fungum durae matris* nominent, ut vix major differentia cogitari possit, quam decursus

---

1) Kleiner Beitrag zu der Lehre von den schwammigen Auswüchsen am Schädel; im Journal von *Graefe* und von *Walther*. Bd. V. St. 1. S. 105.

2) Ueber den Schwamm der Schädelknochen und die schwammartigen Auswüchse der harten Hirnhaut. Ein auf Beobachtung und Untersuchung begründeter, durch 10 Abbildungen erläuterter Beitrag zur nähern Erkenntniss dieser Uebel. Düsseldorf 1829. 4.

primi ab eo secundi. Dum *Ebermaierus* audet, *Waltherum* confusionis duarum ipsa natura differentium formarum morbosarum accusare, putat tamen, ut in magnis illis tenebris, quae supra hunc morbum dominentur, et in ejus raritate, haec confusio eo facilius locum habere potuisset, quo magis argumenta physiologica eam utpote veram et necessariam demonstrare viderentur. Nec non *Waltherum* semper adhuc omni jure contendi posse, nullum casum fungi durae matris genuini satis accurate pervestigatum et qua talem demonstratum esse, inprimis, quomodo fratres *Wenzel* rem describant. — *Ebermaierus* quum de independentia durae matris et de glandulis Pacchionii, quas pro productis morbosis habet, loquitur, contendit, ex historia ejus casus clare prodire, perforationem ossium cranii in *fungo cranii* omnino accidentalem et nullo modo necessariam, praeterea a *Walthero* descriptum morbum prorsus alium esse, quam qui *Wenzelio*, *Louis* et reliquis scriptoribus ob oculos versabatur. Inde sequi, argumenta tria, quibus *Waltherus* sententiam suam probare studeat, nullatenus huc spectare, siquidem duo morbi necessario non communia symptomata provocare possint. De proprio igitur fungo ossium cranii non dici posse:

1) *fungum* qui dicitur *durae matris* massam esse vasis sanguineis admodum abundantem, quae proprie tantum ex vasis et tela cellulosa constet, i. e. ex arteriis et venis enormi modo dilatatis, eamque ob rem verosimile reddi, eum ex dilatatis vasis diploës et illis oriri, quae per cranium penetrent, intra quod propria massa ossea destructa et degenerata sit.

2) Pari modo ineptum esse, vasa quoque durae matris jam in aliqua distantia a fungo valde dilatata esse, et quidem eo magis, ubi in ejus substantiam transeant; utrumque uullo modo accidere, et ratione vasorum ab *Ebermaiero* omnino contrariam indolem inventam esse.

3) Quum fungus proprie in substantia ossium cranii formetur, patere, cur tantum superficies externa durae matris hujus rei particeps videatur, in superficie interna vero prorsus nulla mutatio morbosa animadvertatur. *Ebermaierus* magnum in hac fungum medullarem invenit.

Firmam cohaerentiam fungi cum marginibus rimae osseae, in qua *Waltherus* certissimum argumentum falsitatis sententiarum *Wenzelii* invenit, omnino ostendere, perforationem in hoc morbo minime adeo characteristicam esse, uti in ea a *Wenzelio* assumta.

Ex iisdem etiam argumentis explicari, cur ne unum quidem signorum diagnosticorum, quae *Wenzel* et ceteri scriptores, ipse *Chelius* adhuc memorarunt, a *Walthero* reperiretur. Si haec confusio revera locum habuisset, non dubium esse, fungum durae matris verum ita decurrere, quemadmodum alii scriptores indicarint. Neutiquam tamen *Ebermaierus* contendere vult, ut fratres *Wenzel*, si vel maxime in summa veritatem dixissent, tantum naturam describerent, et non quaedam ex phantasia sua abstrahendo et concludendo adjicerent; quippe quod ne unus quidem casus veri hujus *fungi durae matris* cum ea diligentia durante vita, uti post mortem, exploratus et observatus sit, qualem decisio rei adeo gravis requireret.

Cum his opinionibus denique ea conjungenda est, quam recentissimis temporibus *Chelius* [1]) protulit et quae jubet, theoriam a *Louis* et *Wenzel* stabilitam tantum ad proprium fungum durae matris esse applicandam; minime autem mereri nomen fungi durae matris, quod a *Sieboldio*, *Sandifortio*, *Walthero* aliisque observatum est, sed describendum esse tanquam *fungum cranii*, siquidem

1) Handbuch der Chirurgie. Bd. II. S. 455. — Zur Lehre von den schwammigen Auswüchsen der harten Hirnhaut und der Schädelknochen. Heidelberg 1831. S. 27. fol.

hic vel a diploë, vel a pericranio et dura matre simul degeneratio incipiat, atque os in massam spongiosam, plus minusve firmam mutetur. In qua quidem argumentatione clarissimus vir ita pergit: differentiam inter *fungum durae matris* et *fungum cranii* aequiparandam esse conditioni similium degenerationum aliorum ossium, ubi excrescentiae fungosae inter periosteum et os formentur, atque os non nisi massa luxuriante destruatur, interea aliae excrescentiae fungosae ex osse ipso eleventur, quod in massam spongiosam, sarcomatodem, steatomatodem vel aliam mutetur.

Eadem prorsus ratione etiam *Blasius* [1]) *fungum cranii*, *fungum durae matris*, *fungum pericranii* et *fungum complurium partium capitis* distinxit.

Collectis jam singulis de fungo durae matris a viris doctis statutis sententiis, locus omnino hic videtur esse commodus, ut nostrum qualecunque judicium adferamus; ne autem repetitionibus superfluis locus detur, quod hic facere debuissemus, in ultimo hujus libelli capite pro virium nostrarum imbecillitate suscipere studebimus, sperantes fore ut etiam ex observationibus nobiscum communicatis nunc exponendis, quaedam argumenta depromantur.

CAPUT II.

OBSERVATIONUM MECUM COMMUNICATARUM EXPOSITIO.

OBSERVATIO I.

Christiana M .... r., viginti octo annorum, uxor sculptoris Dresdae, parentibus tenuis valetudinis edita, morbos infantiles, quantum cognosci potuit, postquam jam primis annis aetatis insignem dispositionem scrofulosam ostenderat, sine alio incommodo superavit, nisi quod ex illo tempore magis quam antea molestiis scrofulosis et ophthalmiis frequenter redeuntibus afficeretur. Anno aetatis decimo quinto menstrua apparuerunt, anno autem vigesimo primo, viro nupsit. Durante matrimonio ejus felici plures infantes peperit, qui vero mox post partum moriebantur. Sine omni graviori morbo antea conspicuo M. doloribus capitis pressoriis ex longiori tempore praegressis in medio ossis frontis eminentia parva haud multum dolente affecta est, quae, absque eo ut cutis eam tegens mutata esset, sensim sensimque crescebat. Mechanicae alicujus rei nocivae, quae antea locum habuisset, M. non erat conscia, bene vero observare voluit, habitum ejus antea hilarem jam antea et eo tempore, ubi parvus ille tumor ortus est, disparuisse, colorem faciei mutatum esse in pallide terrestrem, vires digestionis conspicue tenuiores esse redditos et se se semper valde defatigatam sensisse. Tumore crescente, contra quem a variis medicis varia remedia, inprimis hirudines, emplastra emollientia, inunctiones sine omni effectu adhibebantur, debilitas universalis et cachexia magno pallore et decremento turgoris vitalis se se magis magisque exserens augebantur. M. perdidit

---

1) De fungi durae matris accuratiori distinctione. Hal. 1829. 8.

simul priorem animi vigorem. Postquam sub hisce phaenomenis et doloribus capitis simul locum habentibus, qui periodice augebantur, tumor volumine auctus erat, aegrota praeterea adhuc a doloribus pressoriis pandentibus juxta maxillam superiorem et inferiorem in latere dextro vexabatur, quibus serius haud exiguus tumor durus istarum partium accessit. Medicus quidam practicus Dresdensis, qui aestate 1831. ad curandam hanc foeminam vocatus erat, praeter tumorem ossis frontis ad magnitudinem pomi minoris auctum, etiam tumorem lateris faciei dextri invenit, qui inde ab aure usque ad mentum extendebatur, satis firmus erat, in summo apice cute coeruleo-rubra obducebatur atque aegrotae multos dolores procreavit. Explorata cavitate oris animadvertebat ille, non solum partes ejus molles in latere dextro graviter esse tumidas, sed etiam intumescentiam ipsius maxillae inferioris. Caeterum fluctuatio in pluribus locis hujus tumoris ignorari non potuit. Adhibitis gargarismatibus et cataplasmatibus emollientibus tumor introrsum aperiebatur magnamque quantitatem ichoris admodum foetidi effudit. Foramen abscessus nonnunquam claudebatur et aperiebatur, in quo effluvium fluidi foetidi per aliquod tempus mansit. Durante hoc tempore tumor in osse frontis, etsi tarde tamen insigniter crevit, absque eo ut color integumentorum externorum mutaretur. Inde ab eo tempore, ex quo tumor in mandibula formabatur, vires aegrotae magis magisque imminuebantur, atque quum Gener. *ab Ammon* mense octobris 1831 in consilium vocaretur, sequentia invenit.

Tumor in osse frontis magnitudine ovi gallinacei cute adhuc sana obductus, loco suo moveri non poterat, consistentiae satis firmae, qui in accuratiori exploratione neque pulsationem neque calorem, sed in ambitu marginem osseum peculiariter formatum exhibuit, per quem tamen, neque contentione quadam adhibita, ne ad lineae latitudinem quidem reprimi potuit. In repositionis periculis aegrota nullos prorsus dolores vel aliam sensationem accusavit, quae quandam affectionem cerebri prodere potuisset. Tumor faciei dextri lateris, qui hucusque vehementes continuantes dolores paravit, inde ab osse zygomatico, cujus margo superior admodum obscure sentiebatur, usque ad mentum extendebatur, totum spatium inter aurem, mentum et angulum maxillae inferioris explens, in quo ultimo loco summam altitudinem assecutus est, caeterum immobilis, consistentiae inaequalis, in nonnullis locis mollior in aliis durior. Cutis tumorem obducens satis firmiter cum eo concreta erat atque in eo loco, ubi tumor maximam altitudinem assequebatur, coloris pallide rubro-coerulei. Fluctuatio vero sub ea non animadvertebatur. Aperto ore, quod parum tantum aperiri potuit, aegrota incrementum dolorum sensit. In ore ipso digitus explorans haud exiguam intumescentiam maxillae inferioris inprimis ejus processuum animadvertebat. Tumor harum partium, qui etiam partes molles involvit inaequalis fuit, ab attactu duriusculus. Odor ex ore admodum penetrans erat, licet hoc ipso tempore nullum effluvium ichoris adesset. Simul reperiebatur tumor dolens, qui primum ex brevi tempore formatus erat, in osse sacro, trium circiter pollicum longus, unius et dimidii latus, qui inde a prima usque ad tertiam vertebram sacralem extendebatur, quarum processus spinosi tantum obscure sentiebantur. Consistentia hujus tumoris respondebat illi in maxilla inferiori, cutis supra eum immutata apparebat.

Praeter dolores, qui in tumore maxillae inferioris et in osse sacro locum habuerunt et periodice augebantur, aegrota, quae valdopere emaciata conspiciebatur, de universali laxitate et imbecillitate, de frequenter redeunte inquietudine et anxietate cum cordis palpitatione conjunctis, nec non de minoribus exacerbationibus febrilibus conquerebatur sub vesperam intrantibus, quae horripilatione fugaci, brevi cum ardore subitaneo variante cognoscebantur, et sudore plerumque versus tempus matutinum

apparente et praesertim tantum in superiori parte corporis erumpente finiebantur. Sudore praeterlapso cutis plerumque sicca et tensa tangebatur; pulsus erat debilis, parvus, aliquantum frequens; desiderium ciborum exiguum, usus nutrimentorum solidorum facile irritationem et proclivitatem ad vertiginem provocavit. Lingua erat pallida, ad radicem muco tenui obducta. Sapor putridus, abdomen molle, evacuationes alvinae irregulares, plerumque tardae.

Quae quum ita essent, Generos. *ab Ammon* dyscrasiam universalem localibus fungosis degenerationibus ossis et periosteorum conspicuam statuens pari modo uti ejus antecessores de curatione radicali cogitare non potuit atque persuasum sibi habuit, omnia, quae ars praestare possit, tantum in mitigationem molestiarum referri debere et mutationem assimilationis et reproductionis minime esse negligendam. Primae indicationi ab initio remediis mitioribus narcoticis, nimirum Extracto Hyoscyami, Aqua Laurocerasi et serius ipso Opio respondebatur; respectu alterius vero China et Natrum carbonicum in usum vocabantur. Attamen sine effectu. Postquam nimirum diversis temporibus profluvium fluidi ichorosi in cavitatem oris compareret, phaenomena febris lentae semper magis augerentur, apparuit per plures dies status soporosus, qui interdum a deliriis vehementibus interrumpebatur atque vitae aegrotae die quinto Januarii 1832 finem imposuit.

Sectio cadaveris per Exper. *Gescheidt* Medicum practicum Dresdae die septimo ejusdem mensis instituta, sequentia exhibuit phaenomena.

Praeter tumores jam commemoratos, quorum ille in gena jam in majorem resolutionis gradum transgressus erat, et praeter nonnullas maculas cadaverosas in dorso nihil, quod abnorme esset, in cadavere, quod sceletum cute obductum simulabat, reperiebatur.

Quod attinet tumorem in osse frontis, cutis, quae supra eum extendebatur, conspiciebatur externe naturalis, resectione autem ejus cruciformi facta et lobis rejectis animadvertebatur, panniculum adiposum disparuisse atque massae pseudoorganicae molli fungosae inferius accuratius describendae locum cesisse. Quoad sedem et dimensiones ejus demta reliqua cute capitis sequentia reperiebantur. Satis rotunde formatus cum margine suo superiori inde ab eo loco, ubi sutura sagittalis cum sutura coronaria collidit ad pollicem et tres lineas a processu zygomatico ossis frontis distabat, latitudine sua aequabat pollicem et tres lineas et in longitudine pollicem et quinque lineas, in altissimo suo loco circiter ad dimidium pollicem supra convexitatem ossis frontis prominebat et ostendebat substantiam rubroflavi coloris, in qua neque dilatationes vasorum neque clare fibrosa constructio cognosci poterant, et ratione consistentiae polypos cordis organicos duritie multum superavit. Integumentis cranii caute remotis observabatur, tumorem externe conspicuum cum osse frontis intime concretum in hoc affixum mansisse, quum interim alius a dura matre egrediens facile solvebatur et in hac membrana adhaerens manebat. Os frontis in sua superficie interna perforatum una quasi cavitate instructum erat, cujus fundum excrescentia ab osse frontis egrediens sistebat. Cavitas ipsa in ambitu minor quam tumor supra eam positus longitudine pollicem et lineas duas et latitudine novem lineas aequabat, caeterum marginibus inaequalibus dentatis instructa. In ambitu hujus in osse frontis formatae cavitatis plures loci conspiciebantur, in quibus resorptio sulcos dendritice formatos, in quorum ambitu color subruber substantiae osseae cognoscebatur, provocavit. Superficies superior fungosi corporis a dura matre egredientis ratione formae superficiei inferiori illius prorsus respondebat quae in osse frontis reperiebatur; consistentia tamen prioris aliquantum firmior erat, color rubrior, ambitus vero prorsus respondebat cavitati in osse frontis. Vasorum ramificationes pari modo in superiori perspicue animadverti non potuerant, recte vero aparuerunt singula vasa in massa

fungosa incisione in eam facta in superficiebus incisurae. Dura mater in superficie sua superiori in locis circumjacentibus fungi relaxata fuit, coloris subrubri, caeterum sana, inferior versus cerebrum spectans superficies quoque relaxata, sine excrescentiis, in qua tamen tricae ramificationum vasorum permultarum et subtilium conspiciebantur, quae in ambitu basim fungi superabant. Sinus durae matris magnus sanguine nimis repletus erat, pari modo vasa venosa cerebri. Lobus cerebri anterior sinister a fungo valde compressus apparebat, attamen ne minimum quidem degeneratus erat, ventriculi cerebri non nimis cum aqua erant repleti, et in universum in accuratiori cerebri exploratione nulla alia abnormitas in eo animadvertenda. Pari ratione etiam basis cranii omnino sana reperiebatur. Facta incisione in tumorem mandibulae, qui, uti jam commemoravi, maxime decompositus erat, massae male olentis nigrae pultiformis quantitas duarum unciarum effluxit, qua evacuata hujus tumoris natura quoque fungosa comprobabatur. A processu condyloide maxillae inferioris egressus circumjacentes partes molles destruxit, caeterum in consistentia multo laxior erat, ita ut singulae partes cum manubrio cultri solvi potuissent. Inter membranam mucosam oris, quae caeterum prorsus degenerata fuit, et tumorem nonnullae parvae cavitates conspiciebantur, ichore foetido plenae. Tumor in osse sacro apparuit in exploratione inde a secunda, tertia et quarta vertebra egrediens, habuit structuram fungi in osse frontis adnati, non videbatur autem usque in canalem vertebralem penetrare, siquidem culter immissus ubique resistentiam duram tangenti prodidit. Ratio canalis vertebralis ipsius, ne cadaver nimis comminueretur, explorari non potuit.

In cavitate thoracis et abdominis nihil praecipue abnorme apparuit.

OBSERVATIO II.

Duorum annorum infans lorarii S. ad finem anni aetatis primi peculiari morbo oculorum affectus est, qui ab Exp. *Weller* in consilium vocato pro incipiente fungo medullari bulbi oculi cognoscebatur. Morbus in menses singulos crevit et finiebatur irruente coecitate infantis absque exophthalmo vel luxuriatione bulborum exortis. (Exp. *Weller* descripsit hunc casum in novissima editione sui compendii, Berolini 1830. Pag. 414. ad not. tanquam fungum medullarem *sanatum*.) In hoc rerum statu Gen. *ab Ammon* in consilium vocatus, sententiae Exp. *Welleri* accedens cognovit in hac peculiari oculorum metamorphosi mutationes, quae ab eo in *annalibus Heckerianis* Bd. XI. S. I. tanquam proprius eventus fungi medullaris descriptae sunt. Haec quidem opinio, tristem exitum in coecitatem in hoc infante propterea semper adhuc bonum fuisse, quia luxuriationes atroces, quae plerumque in orbita apparent, hic non adfuissent, in hoc casu haud diu vera apparuit, quoniam haud multum post metamorphoses graves in orbita, in parotide sinistra et in osse frontis accedebant. Quum enim Gen. *ab Ammon* quinque menses serius, ex quo infantem prima vice viderat, denuo ad eum videndum vocaretur, sequentia invenit. Infans, qui maximam partem diei in statu semisoporoso sopitus erat, attamen nullas alias turbationes naturalium functionum nisi diarrhoeam cum obstructione alternantem exhibuit, nunc in utroque oculo magnos exophthalmos habuit. Exophthalmus sinister magnam exhibuit degenerationem conjunctivae et corneae bulbi, qui a palpebris quoque protrusis amplius tegi non poterat. Exophthalmus dexter ita formatus esse videbatur, ut hic per causam mechanicam ex orbita egredientem palpebra superior simul cum bulbo degenerato conice extrorsum

propelleretur, ita tamen, ut palpebra superior bulbum degeneratum tegeret. Parotis sinistra graviter tumebat et implebatur ingenti copia vasorum varicosorum, quae supra utrumque exophthalmum usque ad frontem extendebantur atque ibidem cum alliis venis varicosis per anastomoses conjungebantur. In osse frontis, secundum suturam coronalem animadvertebatur series tumorum altorum magnitudine nucis juglandis regiae juxta se positoium. Per cutem hosce tumores tegentem non degeneratam vasa varicosa perlucebant. Tumores exhibuerunt notum sensum proprium fluctuantem, qui tam facile et tam saepe cum fluctuatione confunditur. Infans moriebatur post longos dolores denique soporosus.

In sectione capitis, quam Gen. *ab Ammon* praesente Exp. *Wellero* fecit, invenit ille sequentia.

Universa massa cerebri valde mollis, sed non emollita, adeo extensa erat, ut cranio remoto cerebri membranae instar sacci impleti apparerent. In ventriculis cerebri nulla aqua inveniebatur, nisi quod in sinibus et venis cerebri vis sanguinis venosi conspiceretur; neque in tunicis neque in massa cerebri vestigium exsudati. Nervi optici, sicuti omnes in basi originem ducentes nervi normales erant. Contra vero periorbita in statu fungosae luxuriationis versabatur, et pro causa exophthalmorum spectari debuit, quoniam ea in aequabili satis magna luxuriatione fungosa spatium orbitae imminuebat atque ita bulbos ex eorum situ normali pellebat et palpebras elevabat. Sclerotica utriusque oculi jam luxuriationis fungosae particeps esse incepit, forma tamen bulborum hac re detrimentum non cepit, quorum structura interna quoque morbose mutata erat, quemadmodum Gen. *ab Ammon* in sua mox edenda anatomia pathologica oculi cum tabulis aeneis amplius ennarrandi occasionem inveniet. Parotis erat spissa et aucta atque partes fibrosae in regione hujus glandulae plus minusve crassae. Quod attinebat naturam tumorum in cranio, pro nostra materia pathologica-anatomica maximi momenti, reperiebatur, integumenta communia cum illis tumoribus intime cohaesisse, et tantum difficile ab iis separari potuisse; qui in sutura coronali positi structuram crassam et colorem puniceum exhibuerunt nihilque aliud erant nisi galeae conspissationes. Resecto ejusmodi tumore conspiciebatur eos cum partibus osseis subjacentibus eo intime cohaesisse, quod superficies ossis in cuspides, proprias non multum elevatas innumeras degenerata esset, qualis plerumque spinae ventosae adscribitur. Proxime circa hosce singulos tumores os sanum erat, tantum praerupte uti quodam margine circumscriptum. Superficies ossis frontis interna exhibuit hanc peculiarem cuspidiformem degenerationem ossis multo magis et fortius atque inter et in his cuspidibus posita erat massa fungosa colore puniceo, quae vero etiam cum superficie externa durae matris cohaerebat, ita quidem ut superficies cranii interna et dura mater massam exhiberet tantum per fungum et apices ossium concretam. Degeneratio haec extendebatur supra maximam partem superficiei internae ossis frontis. In superficie interna durae matris nulla mutatio conspici poterat.

CAPUT III.

SENTENTIA NOSTRA DE FUNGO DURAE MATRIS.

Quodsi igitur eventus observationum nobiscum communicatarum cum sententiis a viris doctis de hisce tumoribus capitis prolatis inter se comparamus atque argumenta, quibus singulorum observationes nituntur, accurate consideramus: non dubitamus, quin vera habeatur et sententia *Wenzelii* et *Waltheri*, quam uterque de observationibus et casibus suis contendebat, modo singula exempla recte distinguantur, et quod in uno casu inventum et observatum est, non ad omnes transferatur, singulorum observationes non detorqueantur, aut alteri nimis adhaerendo altera praepropere non demoveatur. Quam ob rem sententiam recentissimorum veritati proxime accedere contendimus, secundum quam malum, de quo loquimur, aut e partibus integumentorum cerebri singulis aut e pluribus simul exoriri posse affirmant, variasque species istarum excrescenstiarum assumunt. Etsi autem jam meum esset, argumenta praecipue eorum pervestigare, qui sententiae suae nimis indulgebant et alteram depellere studebant, quum tamen recentissimis temporibus *Blasius*[1]) varias species fungorum capitis, supra a nobis commemoratas, distinguendo et inprimis *Chelius*[2]), qui quatuor observationibus a se ipso factis innitens quinque species ejusmodi fungi statuit[3]), gravissimis argumentis eos refutarunt, liceat nobis igitur propter angustiores spatii nobis concessi limites Lectores Benevolos ad laudatos auctores ablegare.

Quamvis autem a *Blasio* et a *Chelio* in tractatibus jam saepius a nobis citatis varii fungi capitis pro sede differentes contra adversarios fuissent exhibiti et praecipue sub classe quae fungos complurium partium capitis comprehendit, diversae combinationes et modificationes hujus morbosae affectionis ante oculos sint positae-minime tamen credendum est, numerum omnium ejusmodi complicationum exemplis allatis jam esse absolutum, quam potius in singulis casibus novas adhuc et hucusque nondum observatas varietates occurrere posse. Hujus rei argumentum praebent observationes a nobis ennarratae, in quarum prima tumor frontalis externe conspicuus cum osse frontis intime concretus conspiciebatur, qui terminos ejusdem ossis minime transgrediebatur, interim alius a dura matre egrediens facile solvebatur et in hac membrana adhaerebat.

Nonne igitur duo fungi quoad sedem satis inter se distincti, alter fungus cranii, alter fungus durae matris genuinus simul aderant in eadem capitis regione? Rem ita comparatam fuisse ulterior

---

1) Loc. cit.

2) Zur Lehre von den schwammigen Auswüchsen etc. pag. 28 et 59.

3) Nota. Distinguit enim Vir Excell. sequentes casus: 1) ubi dura mater per se sola vel tantum in superficie interna, vel externa, vel in utraque simul degeneratur; 2) ubi dura mater et pericranium eodem tempore degenerantur; 3) ubi massa fungosa inter cranium et pericranium formatur (fungus pericranii); 4) ubi degeneratio in tela reteformi diploës incipit, et aequaliter introrsum et extrorsum, vel magis secundum hanc vel illam directionem extenditur; 5) denique, ubi plures commemoratarum mutationum morbosarum, et ratione originis suae variae simul adesse possunt.

exploratio accuratius comprobavit. Etenim os frontis in superficie sua interna perforatum, cavitate quasi instructum animadvertebatur, cujus fundum excrescentia fungosa ex osse frontis egrediens formabat. Cavitas ipsa im ambitu minor erat quam tumor supra eam positus. Superficies quidem superior fungi a dura matre egredientis ratione formae prorsus respondebat superficiei inferiori tumoris, qui in osse frontis reperiebatur; attamen consistentia prioris aliquantum firmior erat, color magis ruber, ambitus vero prorsus respondebat cavitati in osse frontis.

Fac autem fungum in hoc casu sensu *Waltheri*, *Sieboldii*, *Petitii*, *Engerrani*, *Sandifortii* aliorumque, qui eidem sententiae favent, primitus ex osse egressum fuisse, neutiquam tamen intelligigitur, cur substantia utriusque tumoris in toto ambitu alius coloris et alius consistentiae esse debuerit, siquidem substantia fungi ex osse egredientis erat coloris rubroflavi, et ratione consistentiae polypos cordis perfectius organicos duritie superabat. Caeterum in neutro istorum tumorum poterant externe animadverti dilatationes vasorum, in quibus *Waltherus* principalem causam tam formationis fungi ex dilatatis vasis diploës quam etiam ejus nexus inter duram matrem et pericranium quaerit, neque etiam conspiciebatur dilatatio vasorum durae matris jam in quadam distantia a fungo cranii, et multo minus, quo magis fungus durae matris fungo cranii appropinquabatur; potius enim apparebant singula vasa incisione in tumorem ex dura matre orientem facta in superficiebus incisis, dura mater reperiebatur in superficie sua superiori in ambitu fungi relaxata, subrubro colore tincta, caeterum quidem sana, inferior autem versus cerebrum spectans superficiês quoque relaxata, sine excrescentiis, ostendebat complexum ramificationum vasorum permultorum et subtilium, qui in ambitu basim fungi superabat; quae omnia contra *Waltherum* dimicant.

Quod attinet perforationem tabulae internae ossis frontis in hoc casu, ubi quidem ambo fungi aequali forma sibi respondebant, facile exinde quis concludi posset, id ipsum probare, fungum, sive jam ex diploë sive ex dura matre primitus exoriretur, fuisse unum eundemque, quippe quod etiam superficies superior fungi a dura matre ascendentis superficiei inferiori fungi cum cranio cohaerentis prorsus responderet; attamen nullus conspiciebatur vasorum ex una excrescentia in alteram transitus, atque fungus ex dura matre exordiens facile a superficie interna ossis frontalis solvi potuerat. Quis autem fungorum sub hoc rerum statu praesertim ad perforationem hujus tabulae internae conferebat, hanc quidem quaestionem solvere nolo; nihilominus ex aequalitate superficierum et formarum utriusque tumoris sibi respondentium id mihi probabiliter conficiendum esse videtur, perforationem pressu tumoris alterutrius fuisse provocatam, cujus foraminis ambitui superficies alterius tumoris respondens accommodata est.

Videamus jam quid de sede fungi in altera observatione nostra cum verisimilitudine determinari possit. Quodsi autem hujus rei causa ad tumores fungosos in cranio secundum suturam coronalem externe conspicuos attendimus, utpote qui ad argumentum nostrum pathologico-anatomicum maxime faciunt, aperte eos simul ex superficie externa cranii prodiisse, ideoque sensu recentissimorum auctorum fungos complurium partium capitis fuisse, natura et conditiones anatomicae sufficienter nobis probare videntur. Etenim licet integumenta communia cum illis tumoribus intime cohaererent et difficulter tantum ab iis separare possent, ita ut excrescentiae nil nisi conspissationes galeae fuissent, et quamvis resecto ejusmodi tumore animadvertebatur, eum cum partibus osseis subjacentibus hoc modo intime cohaesisse, quod superficies ossis in acumina propria non nimis alta, sed innumera esset degenerata, qualia plerumque spinae ventosae tribuuntur, attamen quum os spisse circa hosce tumores reperiretur sanum et acuto quasi margine circumscriptum, primariam eorum originem ex di-

ploë vel superficie externa ossis frontis aut pericranio assumere non potuimus. Longe magis autem conspiciebatur haec peculiaris, in fungo cranii tanquam conditio necessaria ab auctoribus statuta, degeneratio cuspidifera in superficie interna ossis frontis et inter has cuspides et in iis posita erat massa fungosa colore puniceo, quae vero etiam cum superficie externa durae matris cohaerebat ita ut superficies interna cranii, dura mater massam fungi et cuspidum ossearum ope cohaerentem exhiberent.

Similem fere casum, cum quo noster quodammodo comparari posset, retulit etiam *Chelius*[1]), si exceperis in ejus exemplo etiam superficiem internam durae matris fuisse degeneratam, in qua in observatione a nobis allata nulla mutatio animadvertenda erat. —

Sed videndum jam est, num etiam ex *symptomatibus* durante vita individuorum, quorum observationes exposuimus, conspicuis argumenta quaedam desumi possint ad sedem et ipsam diagnosin fungorum statuendam; qui labor eo majoris momenti nobis esse videtur, quo magis inter omnes rationales medicos satis constat, non nisi omnibus momentis accurate exploratis et recte inter se comparatis ad diagnosim esse perveniendum, eamque ita comparatam plurimum valere ad morbos recte curandos. Hanc ob rem comparabimus symptomata in nostris observationibus occurrentia partim cum signis quae *Wenzel* essentialia credit, partim cum signis recentiorum auctorum, qui plures species fungorum capitis distinguentes singulis etiam symptomata propria tribuerunt. Quodsi itaque eorum tantum symptomatum rationem habemus, quibus tumores frontales in observationibus a nobis enarratis insignes fuerunt, apparent nobis in primo casu haec: sine omni mechanica causa nulloque vehementiori statu morboso antea conspicuo, si exceperis diathesin scrofulosam, doloribus capitis pressoriis ex longiori tempore praegressis apparuit in medio ossis frontis eminentia parva haud multum dolens, quae, absque eo ut cutis eam tegens mutata esset, tamen doloribus capitis pressoriis restantibus et periodice auctis, sensim sensimque pomi minoris deinde ovi gallinacei magnitudinem assecuta est. Quem quidem ambitum consecutus tumor, cute sana adhuc obductus in exploratione minime loco moveri poterat, consistentiae erat satis firmae, quae neque pulsationem, neque calorem, sed in ambitu marginem osseum peculiariter formatum exhibuit, per quem tamen, neque contentione quadam adhibita, ne ad lineae quidem latitudinem reponi potuit, atque aegrota in repositionis periculis nullos prorsus dolores vel aliam sensationem accusavit, ex qua quandam cerebri affectionem suspicari potuisset medicus.

Comparantes jam signa hujus observationis cum symptomatibus, quibus *Wenzel* fungum durae matris insignem esse statuit, nempe cum pulsatione tumoris, foramine ossis sensibili, doloribus et repositione fungi, negare non possumus, praeter *sensibilem* marginem osseum peculiariter formatum, nulla alia obvenisse, quae signis, quae laudato viro pathognomonica viderentur responderent, ita ut, si iterum exceperis marginem osseum, secundum *Waltherum nunquam* sensibilem, potius hujus viri sententiam comprobatam esse putare possis; attamen aegrota, cujus observationem exposuimus, nullos prorsus dolores vel aliam sensationem in repositione tumoris utut frustra tentata accusavit, quae quamdam cerebri affectionem indicare potuisset, qualem vero *Waltherus* contra *Wenzelium*, qui eam tantum sub certa conditione concedit, absolute necessariam contendit.

Quae quum ita sint, satis nobis patere videtur, sententias horum auctorum eo minus universas

---

1) Zur Lehre von den schwammigen Auswüchsen etc. S. 58 — 65.

esse et ad omnes fungorum casus quadrare, quo magis quilibet eorum, uti jam *Ebermajerus* [1]) recte monuit, alium morbum descripsit, tantum de casibus sibi obviis plurimum inter se differentibus judicavit et ex parte concludebat ad totum. Neuter quidem eorum falso conjecit de specie sua, sed minus apte de speciebus fungi capitis in universum.

His jam missis, investigandum nobis est, cum quanam specie fungorum capitis a recentioribus auctoribus statutorum nostri casus ratione signorum characteristicorum comparari possint. At vero, si vera sunt, quae de sede fungorum in observationibus a nobis expositis proposuimus, etiam signa mixta, quae partim fungo cranii, partim fungo durae matris vel fungo complurium partium capitis ab auctoribus tribuuntur, pro peculiari natura casus, qua in universa medicina singula exempla morborum ab effigie absoluta, si quaedam stricto sensu dari potest, plus minusve in infinitum recedunt, hic inveniri debent.

---

1) Loc. cit. pag. 65.

Tabula, quae signorum comparationem in fungis capitis pro sede differentibus recentissime statutorum cum symptomatibus casuum nostrorum exhibet.

Signa.	Secundum *Blasium* et *Chelium*.	Fungus cranii.	Fungus durae matris.	Fungus compl. part. capit.	In nostris observationibus. Casus I.	Casus II.
Causae . . .	s. B.	scrofulae et mechanicae noxae	arthritis et rheumatismus, externae sub certis tantum conditionibus	syphilis et externae causae	scrofulosa lues	occultae
	s. Ch.	in universum dyscrasiae	et diathesis fungosa, rarius quam solae.	noxae mechanicae, forsan nun-		
Dolor tumoris	s. B.	nullus, nisi fungi peculiari natura exortus	vehemens, in totum caput vagans lacerans praecipue initio	— — —	haud magnus	— —
	s. Ch.	— — —	— — —	— — —		
Capitis dolor aliaque cerebri pressi symptomata	s. B.	eodem cum tumoris conspicui magnitudine gradu procedunt	vehementia ante tumorem apparentem, cessantia tumore prorumpente, redeuntia tumore reposito	ut in fungo cranii, forsan vehementiora, imprimis etiam cranio jam perrupto	dolor pressorius ex longo tempore praegressus, tumore prorumpente restitit imo periodice auctus	— —
	s. Ch.	— — —	— — —	— — —		
Tumor . . .	s. B.	initio durus, tum duritiem partim amittens, tandem ubique mollis	initio molli ossea lamina tectus, qua rupta aequalem ubique mollitiem praebens	ut in fungo cranii	*fung. cran.* initio durus, in sectione mollis *fung. dur. matr.* priori aliquantum firmior.	peculiariter fluctuans cum fluctuatione vera non confundendus; in sectione structura spissa
	s.	— — —	— — —	*in fungo durae matris et pericranii simul* plus minusve durus		
Margo osseus tumorem ambiens	s. B.	initio et postremo sentiri non potest, quodammodo tempore	initio aperte adest, post evanescit singulis locis per aliquod tempus restans	verosimiliter nunquam percipitur	sentiebatur	— —
	s. Ch.	— — —	acutus accurate percipitur	in primario durae matris et secundario cranii fungo forsan in singulis locis percipitur		
Cranium circa tumorem	s. B.	tuberosum, inaequale, tumens	non mutatum	ut in fungo cranii; simul pericranii mutatio animadverti potest	saltem in superficie interna inaequale, muricatum	non in ambitu, sed in superficiebus, praecipue interna in acumina degeneratum
	s. Ch.	— — —	non mutatum	tumor occulte in os transgreditur		
Repositio tumoris	s. B.	fieri non potest	fieri potest, saltem initio	ut in fungo cranii	fieri non potuit	— —
	s. Ch.	fieri non potest	fieri potest, saltem initio	ut in fungo cranii		
Pressus tumoris cranium versus	s. B.	nil efficit	symptomata cerebri compressi provocat	ut in fungo cranii	nil efficiebat	sopor
	s. Ch.	— — —	symptomata plus minusve gravia	— — —		
Tumoris motus e cerebro pendens	s. B.	non adest	adest, cum tumoris autem ipsius pulsatione ne commutetur	ut in fungo cranii	non adfuit	— —
	s. Ch.	non adest	tumor pulsat synchronice cum pulsu arteriarum	non adest, nisi tumor magnus et tum parvus, aut cranium prorsus degeneratum, cum pulsatione autem vasorum tumoris ne commutetur		

Ex hac tabula apparet, signa in casibus nostris occurrentia ita comparata esse, ut neque cum symptomatibus hujus neque alius speciei fungi capitis ab auctoribus statutis stricte conveniant, sed ex peculiari horum casuum natnra mixtum quoddam constituant, quod modo huic modo alii formae fungorum plus minusve respondeat. Etenim in prima observatione nostra talia signa characteristica reperiuntur, quae cum quadam modificatione partim fungo cranii, partim fungo durae matris auctorum respondent. Plura eorum omnino characterem fungi cranii habent, id ipsum autem tantum comprobat, symptomata fungi durae matris eo magis latere debuisse, quo minus hic fungus extrorsum pervenerit. In secundo casu causae erant occultae, quod non raro in hoc genere morborum fieri solet, uti nobis *Marjolin* [1]) testatur; reliqua pauca symptomata, quibus malum durante vita insigne fuit, ita erant comparata, ut nisi omnium phaenomenorum, praesertim peculiaris affectionis oculorum praegressae ratio fuisset habita, natura tumorum frontalium haud potuisset cognosci; quum satis inter omnes constet, fungos capitis haud raro cum tumoribus cysticis in basi lata et dura sedentibus, semiglobosis, qui nomine talpae veniant, praeterea cum herniis cerebri et cerebelli, et aneurysmatibus ramorum ex carotide externa venientium a chirurgis satis versatis et inter reliquos a *Heistero* [2]) cum tumoribus cysticis fuisse commutatos.

Restat jam, ut pauca quaedam de *structura* et *natura interna* diversorum tumornm capitis adferamus. Hanc quidem variam minus a loco, ex quo tumores originem ducunt, quam potius ab eorum propria causis internis et externis stipata conditione dependentem, et inde a natura molli, pulposa fungi haematodis vel medullaris usque ad eam fibro-cartilaginis vel degenerationis osteosteatomatodis neque in uno eodemque tumore majoris ambitus in omnibus locis aut, si plures fungi simul adsint, in singulis eandem esse, non solum auctores testantur [3]), sed etiam ex ipsis observationibus a nobis allatis intelligitur.

Quod denique *prognosin et curationem* fungorum capitis attinet, partim observationibus virorum experientissimorum, partim casibus a me descriptis nixus, id tantum in universum et breviter monere audeo, prognosin plerumque in hisce gravioribus statibus morbosis esse pessimam, raroque arti contingere esse tam felici ut aliquid ad salutem aegroti adferat. Quodsi causa quaedam mechanica praegressa est in quam symptomata incipientis fungi (dolor capitis varins, vertigo, sensus commotionis et obnubilationis in capite, vomitus, pallor faciei et emaciatio, stupor et sensus alienatus alicujus partis etc.) qualia *Chelius* [4]) descripsit, sequuntnr, in ejusmodi casu forsan maturo et continuo usu fomentationum frigidarum, detractionibus sanguinis universalibus et localibus iteratis, fortioribus derivantibus, methodo inunctoria etc. ulterior mali evolutio praecaveri potest. Ubi autem certus universalis morbosus status in nexu causali reperitur, simul contra hunc apta et strenua curatio in usum vocanda est. At vero in plerisque casibus stadium hujus mali primum propter ejus plerum-

---

1) Encyclopaedie der medicinischen Wissenschaften, von F. L. Meissner, Bd. V. S. 49. Leipzig 1831.

2) *Kaufmann* Dissertatio de tumore fungoso, post cariem cranii exorto. Helmstadii 1743. praes. *Heist.*

3) Conf. *Chelius*, zur Lehre von den schwammigen Auswüchsen etc. pag. 72. — *Ebermaier*, l. c. pag. 70. — *Blasius* loc. cit. pag. 5.

4) Loc. cit. pag. 73.

que lentum et ambiguum decursum haud dubie sine singulari curatione praeterlabitur, atque quo magis malum efformatum est, in universum ut insanabile considerandum est. Caeterum quod specialem curam attinet, angustioribus libelli limitibus impediti partim ad auctores quos in decursu hujus opusculi citavimus, praeterea ad *Zangium* [1]) lectorem benevolum ablegare debemus.

---

1) Darstellung blutiger heilkünstl. Operationen. 3. Aufl. Bd. II. S. 60.

EXPLICATIO TABULAE.

Fig. I. Exhibet exophthalmon et quinque tumores in osse frontis obvenientes.

Fig. II. Conspectus externus tumoris in osse frontis occurrentis praeter degenerationem maxillae inferioris in latere dextro.

Fig. III. Degeneratio in dura matre luxurians foeminae M. in magnitudine naturali.

a) Pars interna durae matris in processu falciformi resecta;

b) anterior;

c) margo posterior ejusdem;

d) superficies tumoris fungosi illi supra eum positi ab osse frontis egredientis respondens.

Fig. IV. Exhibet internam versus cerebrum spectantem superficiem durae matris.

a) margo internus;

b) anterior;

c) posterior.

Notanda hic est magna evolutio vasorum subtilium.

Fig. V. Ostendit partem ossis frontis, sub qua tumor sedebat, in latere interno ossis exhibet locum, qui peculiariter excavatus fungum ex dura matre luxuriantem tegebat. Simul conspicitur hic, quomodo in externa superficie ossis inde ex diploë eadem massa formabatur, quae in dura matre descripta erat.

a) margo anterior ossis frontis ante initium sinus frontalis resectus;

b) margo ejusdem posterior;

c) margo osseus cavitatis ad excipiendum fungum durae matris;

dd) sulci in osse frontis, quos resorptio incipiens infodiebat;

e) superficies inferior fungi ab osse frontis egredientis, quoad formam illi fungi durae matris respondens.

Fig. VI. Praebet conspectum superficiei resectae fungi durae matris, in qua cohaesio intima animadvertitur, quae inter duram matrem et degenerationem obtinet. Conspicitur fungum ex propria massa flava consistere haud multum vasculosa. Superficies inferior durae matris glabra est, externa versus os spectans inaequalis, quasi papillis obsita.

a) Superficies interna durae matris;

bb) ejusdem externa.

Fig. I.



Fig. II.




Fig. III.



Fig. IV.



Fig. VI.





Fig. V.



Krantz ad nat. delin.

Lith. v. C. Aulich.

Stdr. v. R. Weber in Leipzig.